

ent.
m.
1716



H. Stückproben 00 Rom

Handwritten signature or mark in cursive script, possibly reading "J. M. L. L."



- L 1,824

EXERCITATIO POLITICA
DE
DICTO M. T. CICERONIS,
QVO
PACEM INIQUAM JU-
STO BELLO
ANTEFERT.

QVAM
DEO AUSPICE,
PRÆSIDE

Plurimum Reverendo & Clarissimo VIRO,
DN. FRANCISCO KÖHNEN
S. S. Th. D. & Philosophiæ Practicæ in Illustri Bremensi-
um Gymnasio P. P. Præceptore ac fautore suo
perpetim colendo,

Publico examini subicit
HENRICUS AVEMAN,
Brunsvicensis.

Ad diem 4. Februar. loco horisq. solitis.



B R E M Æ,
Typis BERTHOLDI & HENRICI de VILLIERS,
ibidem illustr. Gymnasii Typogr.
ANNO M DC LX.

MAGNIFICIS. NOBILISSIMIS. AMPLISSI-
MIS. CONSULTISSIMIS QVE.
VIRIS.

DN. HENRICO. MEJERO.
V.I.D. LIBERÆ. IMPERIALIS. REIP. BRE-
MENSIS. COS. GRAVISSIMO. ET. ECCLE-
SIARVM. EIVSDEM. TERRITORII. VI-
SITATORI. VIGILANTISSIMO. VERO. MÆ-
CENATI. SVO. ET. PER. QVADRIEN-
NIVM. HOSPITI. BENEVOLENTISSIMO.

DN. HENNINGO. MARTINI.
ICTO. ET. INCLYTÆ. REIP. PATRIÆ.
BRVNSVICENSIS. COS. DIGNISSIMO. SVO.
IN. SS. BAPTISM. FIDEIVSSORI. FAVTO-
RI. AC. PATRONO. CERTISSIMO.

DNN. SVIS. SVMMMA. OBSEK-
VANTIA. MVLTIS. NOMI-
NIBVS. ÆTATEM. COLEN-
DIS.



14 WA 1636

IN. DEBITÆ. GRATITVDINIS. ET. OFFICI-
ORVM. STVDIORVM QVE. SVORVM.
INDICIVM. ET. VLTËRIORIS. FAVO-
RIS. INCITAMENTVM.
QVALECVN QVE. HOC. EXERCITIVM.
DEDICAT.
HENRICVS. AVEMAN. BRVNSV.
AVCTOR. ET. RESP.



Σὺν Θεῷ.

SENTENTIA CICERONIS, QVA
PACEM INIQUAM JUSTO BELLO PRÆ-
PONIT HISTORICO-POLITICE CONSI-
DERATA.

I.



Iquem superiorum vix dum in Germania nostra
extinctorum bellorum dolor & memoria, vel jam ite-
rum erumpentium & imminentium metus saltem, ne di-
cam præsens calamitas, imo humanitas ipsa tangit, nihil
mirum si ad solam belli mentionem statim nobis Virgili-
anum illud (lib. XI. Æn. v. 362.) occinat:

Nulla salus bello, Pacem te poscimus omnes:

Et porro, si pacem cum bello contendere velimus, tritum illud
Siliii Ital. (l. XI. prope fin.) audiamus: — *Pax optima verum*

*Quas homini novisse datum est: Pax una triumphis
Innumeris potior.* —

I I. Et sane, si Pax triumphis etiam potior, quis non cum Livio lib.
30. dicat, quod melior tutiorq; certa Pax quam sperata victoria, quia hæc in tua,
illa in Deorum manu est? Nam solum non omnis belli Mars communis, & sem-
per incerti exitus præliorum sunt, Cic. lib. 10. ep. 3. famil. edit. Siberi. (lib.
6. ep. 4. vulgat.) Liv. 1. 42. c. 30. sed ipsi etiam victores dubiam & pe-
riculosam interdum experiuntur aleam, quod idem Livius lib. 28. inquit:
Mars communis, & victum sepe erigit, & affligit victorem; mutuatus hoc ab
Homero Iliad. 6. v. 309.

Ευρος ἐνυάλι, καὶ τε κλειρόντα κατ' ἕκτα.

I I I. Et quid dicendum, si genus omne calamitatum, quas ma-
jorum illa panegyris, bellum inquam, secum trahit, aliquis animo ad-
verset? uti uberrime hoc argumentum persequitur Erasmi. Roterod. in
Chiliad. ad Adagium: *Dulce bellum inexpertis.* Vere itaque Christoph.

A 2

Forster.

4

Forsner. ad Tacit. ann. lib. 1. cap. 9. scribit: Quemadmodum calor vi non modo sicca, verum etiam que in propinquo sunt, humida, absumuntur: ita bella, etiam que justa causa suscipiuntur, nefanda quaque opera, cedes, stupra, sacrilegia secum trahunt. Nemo Martem ita in potestate habet, ut nusquam exorbitet. Nulla duci prudentia, nulla industria, nulla severitas tanta unquam fuit, qua hoc potuerit efficere, ut quod natura noxium est, fieret innoxium.

I V. Inter plurimas alias, quæ contra bellum pro pace adductæ solent, auctoritates, quæ Theologicas, quæ Politicas, non levis hæc est, quod Cicero aliquoties, in epistolis præsertim, scripserit; se pacem vel iniqua conditione malle, quam justissimum bellum. Quam illius sententiam, relictis his, quæ de ipso belli jure, Christianis etiam competente, doctius & plenius alii disseruerunt, (atque ex his non postremi ó πάλιν Grotius in libris de J. Belli & Pac. Albericus Gentilis lib. de Jure Belli, Phil. Zepperus lib. 4. cap. 16. de LL. forens. Mosaicis, Besold. dissert. ut. de Pace pacisq. jure, item de Arte Jureq. Belli. Job. Georg. Dorscheus, epist. Dedicat. in Anticris. contra Julicium Theologum Ernesti de Eusebio. Hic exercitum gratia examinare operæ pretii nobis visum est, ut appareat, quibus causis inductus, & quo animo disertissimus & prudentissimus Tullius ita persuadere voluerit; Observatis simul, quæ ad præsens negotium & institutum alia pertinere videbuntur.

V. Sic vero ille, Cælinæ consilia & divinationem suam de bello civili exponens, inter alia scribit, lib. 9. ep. 18. Siber. ed. (6. 6. vulg.) *Causa belli orta est: quid ego prætermisi aut monitorum aut querelarum, cum vel iniquissimam pacem justissimo bello anteferrem. Victa est auctoritas mea non tam à Pompejo, (nam is movebatur) quam ab illis qui duce Pompejo freti, peropportunam & rebus domesticis & cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Similis locus est in ad Torquatum lib. 10. ep. 3. (4. 6.) Consolatio est, vidisse me plus quam ceteros, cum cupiebam quamvis iniqua conditione pacem. Quia ipsi Pompejo idem in memoriam revocat, epist. quæ exstat. lib. 8. ad Attic. his verbis: Mea, quæ semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, tum de urbe, meminisse te arbitror. Et in fine ejusd. epist. Ego conditionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis duceptare maluerunt. Cui addimus illud ex ep. 6. lib. 7. ad Attic. Sentiam omnia facienda, ne armis deceretur.*

VI. Hinc aliquis Ciceroni vel dicam impingat, quod omnem pacem, quamvis injustam, præ bello, quamvis justo eligendam judicet, atq; sic jus ipsum belli & pacis evertat: alius in ejus sententiâ sine discrimine tem-

ne temporis eat: alius vero inconstantiam in eo notet, quod nimirum ipse secus alibi senserit, dixerit atque fecerit. Sed nullum horum iure meritoque quisquam ager, ut ex sequentibus liquebit.

V I I. Non enim existimandum est, Ciceronem, qui difficillimis temporibus ita Remp. administravit, ut primus *Pater Patria* appellatus sit, adeo ἀπολιτικόν, vel qui rebus etiam foris feliciter gestis & justo numero hostium caelo *Imperator* ab exercitu salutatus, & a S. P. Q. R. supplicationes solemnes obtinuit, adeo ἀσπαρτυρικόν fuisse, ut omne, & vel justum bellum, recusarit aut damnarit. Sed sciendum, omnia quae in hanc sententiam à Tullio scripta sunt, de bello civili Caesaris & Pompei, quo iam Resp. Rom. flagrabat, intelligenda esse, quod non sine causa detestabatur, atque id in aliis ejus eodem tempore missis epistolis, quibus se ipsum clare explicat, videre est, e. g. lib. 7. ep. 14. ad Att. *Ad pacem hortari non desino, quae vel injusta utilior est, quam justissimum bellum cum civibus*: quem locum male nonnulli duabus istis vocibus, *cum civibus*, mutilatum, pro sua sententia adferunt. Et ad Pompejum in lib. 3. epistoliar. ad Attic: *Pro me vult, nihil me malle quam pacem, non quod eandem timerem* (puta quae Caesare C. O. S. metuenda erat insolentia) quae illi, sed quod ea bello civili leviora ducebant. Evidentissime autem loquitur Philip. 2. *Illos ego praestantissimos viros, lumina Reip. vivere volebam, tot consulares, tot Praetorios, tot honestissimos Senatores, omnem praeterea florem nobilitatis, ac juventutis, tum optimorum civium exercitus: qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis (mibi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur) Remp. hodie teneremus.* Sed & lib. 8. ep. 8. fam. (5. 2 r.) non quamvis pacem antefert, sed, *quavis tuta, atq. conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.*

VIII. Nemo itaque facile Ciceroni nostro pacem experienti adverbatur, nisi si ex eorum numero sit aut censu, qui tum temporis in Romana Rep. erant, & omni tempore non raro reperiuntur pugnandi cupidi (l. 8. ep. 15. ad Att.) qui rebus domesticis & cupiditatibus suis peropportunam istiusmodi bellorum victoriam sperant, l. 9. epist. 16. (6. 6.) ambitione sc. & avaritia ducti, quae vitia maxime bella civilia excitant, ut est ap. Thucyd. l. 3. vel ut Tacitus lib. 2. hist. c. 7. notat, quos dulcedo praedarum stimulat, aut ambigua domi res nam quibus afflictæ fides in pace, turbatis rebus alacres sunt, & per incertatutissimi Id. lib. 1. hist. c. 88. A quorum similib. etiam tum victam auctoritatem suam apud Pompejum, & consilium de pace ineunda, sapius queritur

Cic. locis partim jam laudatis. Sed audiant profligati isti verticem ingeniorum Homerum Iliad. l. ψ. 63.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμις, ἀνέσιός ἐστιν ἐκείνῳ

ὅς πολέμου ἔρχεται ἐπιδημίου ὀκρυόεντι.

quod sic reddere licebit:

Defertor fratrum, justiq, est ille, domusq,

Qui rigidis delectatur civilibus armis.

Quod ipsum disertissime M. Tullius init. Philip. 13. his verbis effert: Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura chara habere potest: quem discordia, quem cades civium, quem bellum civile deletat: eumq, ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humana natura exterminandum puto. Itaque sive Sylla, sive alter Marius, & Carbo, sive quis alius civile bellum optavit: eum detestabilem civem Reip. natum judico. Concludit, cum Cæsarem ipsum tetigisset: Nihil igitur hoc cive, nihil hoc homine tetrius: si aut civis, aut homo habendus est: qui civile bellum concupiscit. Enimvero quicquid usquam crudelitatis aut scelerum est, id in hanc quasi sentinam confluit: Cujus testimonia & exempla qui volet legat lib. 3. Thucyd. in descriptione seditionum Græciæ, & Lucani lib. 2. de bello civ. Quæ mala si quis non velis remisque fugiat, omnem humanitatem exuit. Paucis multa suo more Tacitus complectitur, dicens lib. 1. ann. c. 9. Arma civilia neq, parari, neq, haberi per bonas artes possunt. Quin & hoc habet malorum ista illud, quod nihil miserius quam ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresq, reddit, ut etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur, Cic. lib. 9. ep. 12. (l. 4. 9.) nam secundis rebus etiam egregii duces insolescunt, Tac. 2. hist. nec nisi altera parte aut ducibus ejus ad minimum oppressis & plane extinctis, victores pausam faciunt, quia absque hoc fidam tutamque quietem sperare nequaquam licet, ut ex gestis Julii & Augusti Cæsarum patet, & à Floro. l. 4. c. 2. v. 7. observatur.

I X. Sed demus, interdum optimos etiam non dubitare civile bellum amore Reip. suscipere, quod factum esse Vitellii & Othonis tempore annotat Tacit. 2. hist. 7. Nam & ipso Cicerone Cos. & auctore contra Catilinam aliosque nefarios cives bellum civile necessarid & feliciter gestum est: optima tamen ratione vindicatur Tullius, quod omnimodo arma declinaverit, quoniam eo res Romanæ erant loco, ut nullam in armis quisquam collocare spem potuerit. Quod ipse indicat lib. 7. ep. 5. (16. 11.) ad Tironem suum scribens: In eum locum res deducta est, ut nisi

ut nisi quis Deus, vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Quod nos, ipsam belli civilis faciem ante oculos ponentes, clarius porro videbimus.

X. Nihil scilicet, vel parum admodum a partibus Pompejanorum (a quibus Cicero quoque stabat) erat earum rerum, quæ ad civile bellum prospere conficiendum requiruntur, (qualia plurima ex Taciti histor. libris & Thucydide præsertim collegit Lamb. Danaus in aphorism. Polit.) nec consilium, nec robur, nec fortuna. Nam primo quidem multum inter ipsos duces eorumque virtutes intererat, quibus Cæsar Pompejum longe intervallo præcurrit, quod discrimen elegantissime describit Lucanus lib. 1. v. 129. *Nec coiere pares: & seqq. & videri possunt epist. Cic. l. 8. 20. (7.3.) l. 7. ep. 7. (8. 15.)* ubi Pompejus *nihilus Imperator, ineptus, nugax*: Cæsar autem *in rebus gerendis acer vocatur.* & ad Att. l. 8. ep. 25. de Pompejo non dubitat Cic. scribere: *Nec vero ille me ducit, qui videtur: quem ego hominem ὄρω δεικνῶτα τον omnium jam ante cognoram: minime vero etiam ἀσέβητα τον.* (Vid. etiam l. 7. ep. 20. & l. 9. 12. ad Att.) & de Cæfare l. 8. ep. 9. ad Att. *hoc reges horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.* Tum etiam nihil strenue Pompejani initio gerebant, quod adversariis animum demeret, faventibus adderet, sed cunctabantur atque torpebant, de quo Cic. l. 9. ep. 1. ad Attic. *quum contra nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi factio magis quam consulto est opus.* Tac. 1. hist. Quæ negligentia & incuria a Cæsaribus ipsis notata fuit: hinc Cælius ad Cic. lib. 7. ep. 17. (8. 17.) scribit: *Vos dormitis, nec hac adhuc mihi videmini intelligere, qua nos pateamus, & qua sumus imbecilli.* Imo nec fortuna prospera, si quando affulgebat, bene utebantur, quod prælio ad Dyrrachium cum Cæfare commisso proclidere, quo victus fugatusque ille, nocte interveniente evasit, Pompejus sequi noluit: dixitque Cæsar: *nec Pompejum scire vincere, & illo tantum die se potuisse superari.* Eutrop. l. 6. v. 70. 71. Sueton. in Jul. Cæs. c. 36. Nec frugifera illa victoria Pompejo vel ideo fuit, quia nimis ex ea militibus suis cœpit confidere, & nihil pensi habuit bellum ducere quam temere dimicare, ut apparet ex Cic. l. 8. epist. 20. (7.3.) Præterea in diversas sententias ibant, ut est in Cic. epist. 15. l. 7. ad Att. *In disputationibus nostris summa varietas est.* Ubi porro ait, *Nos sumus flagitiose imparati cum militibus, tum a pecunia, quam quidem omnem, non modo privatam, qua in urbe est, sed etiam publicam que in arario, illi (Cæleri) reliquimus.* Quæ ut & alla vitia & infirmitates Pompejanorum cognoscuntur etiam ex lib. 7. ep. 18. (9.9.) l. 7. c. 7. (8. 15.) l. 8. ep. 20. (7.3.)

Et

Et quod maximum est, Imperii metropolim inani metu & pessimo con-
silio Pompeji reliquerant, quod passim reprehenditur non modo a Cie.
l. 7. ep. 5. (16. 11.) l. 7. ep. 11. & l. 8. ep. 3. ad Attic. & multis aliis; sed & hunc
solacisimum Politicum arguit Dio lib. 41. Lucanus lib. 1. ita:

*Tu tantum audito bellorum murmure Roma
Desereris; nox una tuis non credita muris.*

Et Petron. Satyr.

Gaudet Roma fuga, debellatque Quirites

Rumoris sonitu mœrentia recta relinquunt.

& post:

Quid tam parva queror? gemino cum Consule Magnus,

Ille tremor ponti, savi quoque terror Hydaspis & c.

Pro pudor! Imperii deserto nomine fugit.

& erratum in eo probat Cl. V. Joh. Henr. Bœcl. dissertat. ad Flor. l. 4. c. 2. & in not. Vellei. ad lib. 2. c. 49. v. 5. Zevencorius idem observat ad Sueton. J. Cæs. c. 34. & Christoph. Ad. Ruperti in commentariis ad Florum nuper editis, l. 4. c. 2. Et Cæsar ipse non aliter iudicavit, (ut a Plutarcho in Pomp. ostenditur) sed & nulla interposita mora, (ut omnia subito impetu opprimebat Flor. l. 4. c. 2. §. 10.) post Brundisium occupatum & rebus quæ ad exercitum pertinebant dispositis vacuum ipsam urbem ingressus, Dictatorem se fecit, sanctiusque ærarium effrigi iussit, & intactum ad id temporis aurum vicefimarium, patrimonium pop. Rom. quod ad ultimos casus servabatur, abstulit. Entrop. lib. 6. vers. 69. Cæs. 1. de bell. civ. Flor. 4. 2. 21. Atque sic non modo nervi belli civilis, quos pecuniarum conquestionem esse recte dicitavit Mucianus ap. Tac. 2. hist. c. 84. penes Cæsarem fuerunt, sed miles etiam veteranus, Sueton. in Jul. Cæs. c. 29. Dolab. ad Cic. l. 7. ep. 18. (9. 9.) plus decem annorum industria bello Gallico, Britannico & Germanico probatus, & recenti inde reportata victoria fervidus; cui postea veteranus exercitus Pompeji, quem ipsius Legati, Petrejus, Afranius & Varro ducebant, captus a Cæsare in Hispania, accessit. Cæs. 1. de bel. civ. Dolab. in ep. ad Cic. l. 7. 18. (9. 9.) Ubi notandum, quod antequam illos invasit, professus inter suos, ire se ad exercitum sine duce, & reversurum ad ducem sine exercitu, teste Sueton. in Jul. Cæs. c. 34. ex quo apparet, quod & eventus docuit, idoneis ducibus destitutos fuisse Pompejanos. Nec minus illud vere Cæsar dixit, reversurum se ad ducem sine exercitu; nam quamvis frequentes circa Pompejum in Philippicis campis, ubi urbis, imperii & generis humani fata commissa sunt, legiones essent, & equitum copia abundaret, Flor. l. 4. c. 2. v. 47. tiro tamen & collecticius erat exercitus

etus , quo signa cum robustissimo contulit , Cic. l. 8. ep. 20. (7.3.) nec ulli res magis exitio fuit , quam ipsa exercitus magnitudo , ut center Flor. l. 4. c. 2. v. 49. Atq; idem laudatissimus Cæsaris exercitus hanc bonorum militum virtutem habebat, quod laborum & adverlorum patiens esset, de quo sic Cælius ad Cic. l. 7. ep. 17. (8.17.) Quid istic facitis? prælium expectatis , quod firmissimum est? Vestras copias non novi, nostri valde depugnare, & facile algere, & esurire consueverunt. Idemque ibidem ep. 7. (l. 8. ep. 15.) Quid est? num tibi nostri milites, qui durissimis & frigidissimis locis, seterrima hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur.

X I. Ideoque Cic. l. 7. ep. 5. ad Att. dicit : is sum, qui illi concedi putem utilius esse quod postulat, quam signa confervi. Sero enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos : Ipse scilicet Pompejo non solum suffragante, ut in Galliam Cæsar cum imperio proficisceretur, sed etiam ut imperium ipsi quinquennium ultra legitimum tempus in provincia pro rogaretur, & ut absentis ejus contra morem majorum in petitione consulatus haberetur ratio: (quod posterius utrumque Pompejo prudenter se dissuasisse ait Cic. Philip. 2.) atque absentem in omnibus primum adjuvante, post autem rupta fide & societate, ne suspectæ jam Cæsaris opes nimis augerentur, peiori consilio, quæ ante promissa & decreta illi erant, impediende atque negante, de quo itidem Cic. agit dicta Philip. 2. & ad Attic. l. 7. ep. 3. & l. 8. ep. 3. Florus l. 4. c. 2. v. 15. 16. Eoque tempore decennalis Imperii sui Cæsar omnem Galliam, Germanos & Britannos domans, nihil tam publice quam privatim, intra & extra urbem, quod ad potentiores, plebem, Tribunos, omnesque qui cum timore aut mala spe vivebant, sibi conciliandos, opesque suas firmandas faceret, omisit. Quod optime notat Cic. multis epist. Sucton. in Jul. Cæs. cap. 28 & seqq. & præter alios J. Stadias ad Flor. 4. 2. His ille rebus, inquit Cic. l. 7. ep. 3. ad Att. ita convaluit, ut nunc in uno cive Resp. ad resistendum imbecilla sit.

X I I. Quid multa? omnibus fere rebus, quæ victoriam polleceri possent, Cæsar Pompejo ejusque partibus valentior erat, quod a plerisque belli civilis scriptoribus luculenter demonstratur; imprimis vero utriusque part is comparisonem instituit Velleius l. 2. c. 49. & Lucanus l. 1. in id contentientes, ab altera parte virtutem & robur, ab altera vero nomen illius, umbram & famam tantum fuisse. Summatim de Cæsaris rebus ait Cic. læpius laudata ep. 3. l. 7. ad Att. Causam solum illa causa non habet, ceteris rebus abundat. De suis autem Pompejus ipse testimoni-

B

um



nam ferat, ad L. Domitium qui Corfinio a Cesare obsidebatur, scribens, ep. 20. lib. 8. inter Cic. ad Att. Neque eorum militum, quos mecum habeo, voluntati satis confido, ut de omnibus Reip. fortunis dimicem &c. Neque enim celestiter ex delectibus huc homines convenire possunt: & si convenirent, quantum incommittendum sit, qui inter se noti quidem sunt, contra veteranas legiones, non te preterit. & Cic. l. 10. ep. 1. (6.1.) his rebus prestabamus, quae non prodeunt in aciem: usu autem armorum & militum robore inferiores eramus. Idem est in ep. 7. l. 9. (l. 4. ep. 7.) Et universim l. 8. ep. 20. (7.3.) dicit: nihil boni praece causam. Quod confirmat Velleius Pat. supra d. l.

XIII. Causae vero soli si quis ab aliis rebus imparatis innitendum Deoque fidendum fuisse contendat, huic respondeat Lepidus apud Salust. fragm. hist. 1. Agendum atque obviam eundem est Quirites: ne spolia vestra penes illum sint: non prolatandum, neque votis paranda auxilia: et gravissimus Cato apud eundem in bel. Catil. Vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt, ubi socordia te atque ignavia tradideris, ne quicquam Deos implorasti infestis sunt.

X. I. V Sed quid dicimus de causa, quae vires Pompejanorum attollere debuisset? Ea, uti omnia ab hac parte speciosa erant, (Velleius 2. 49.) quanquam optima videbatur in Senatu, proceribus, & civibus, qui Pompejum ducem sequebantur: ille ipse tamen tantum suae cupidini idoneum titulum, libertatis publicae patrocinium ac tutelam, praeferebat. Hinc Seneca ep. 71. optimates & primum aciem Pompejanorum & Senatum ferentem arma pulcherrimum Reip. praetextum vocat. Et quamvis haut quisquam vilis sit Pompejo *δυναστευαρχία* & l. e. popularior aut libertatis publicae amantior, ut ait Appianus, prudentes tamen aliter iudicant, & Tacitus (at quantus auctor!) 2. hist. c. 38. exiltimat, Cn. Pompejum fuisse Marii & Sulla occultiore, non meliorem. Cujus iudicium comprobatur passim in epistolis Cic. Et ex istius temporis scriptoribus (praeter Ciceronem) praecipue Florus l. 4. c. 2. & Lucanus l. 1. revelant quid sub utriusque ducis coloribus pravae libidinis latuerit. Quorum hic causas & termina istorum motuum, quae ducibus subfuerint, egregie explicans, sic canit:

Nec quemquam jam ferre potest Caesarve priorem;

Pompejus ve parem. Quis iustius induit arma,

Scire nefas: magno se iudice quisque tuetur.

Et haec revera causae illorum erant, privatae, ambitiosae, ideoque de iustitia illarum Poeta quicquam se scire dissimulat.

XV. Quis autem bellum illud non detestetur, & quavis pace mutatum velit, quod non bono fine, sed Tyrannidis & dominationis causa, civium & Reip. interitu geritur? hoc enim ex jam dictis facile colligitur, & nonnullis aliis sequentibus testimoniis probabitur, nullam fuisse Reip. aut libertatis causam, pro qua pugnatum, omnes que ideo imprudenter ejusmodi bello se miscuisse. Seneca ep. 14. sic exclamat: *Quid tibi vis M. Cato? jam non agitur de libertate, olim pessundata est: queritur utrum Caesar an Pompejus possideat Remp. Quid tibi cum ista contentione? nulla partes tuae sunt: dominus eligitur. Quid tua, uter vincat? melior vincere non potest: potest esse peior, qui victus fuerit, non potest esse melior qui vicerit.* Atque idem sapientissimus auctor 2. de de benef. 20. ubi de M. Bruto disserit, ait, cum in occidendo Caesare vehementer errasse, nec ex institutione Stoica se gessisse: qui aut regis nomen extimuit, cum optimus civitatis status sub rege justo sit; aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum praemium erat & imperandi, & serviendi; aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus: futuramque ibi aequalitatem civilis juris, & statuas suo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantis, non an servirent, sed utri. quod iisdem paene verbis complectitur Lucanus:

— — Querunt uter imperet orbi.

XVI. Minimè latuit hoc ipsum Ciceronem qui propterea frequenter dolorem apud Atticum suum exprimit, quod scilicet dominatio ab utroque, quaesita sit: non id actum, ut honesta & beata civitas esset: quod honorum ordines nulli, sed singulares tantum boni viri: quod Pompejus & Senatus multa per temeritatem, ignaviam & stultitiam deliquerint, &c. de quibus cui placet videat plerasque epistolas l. 7. 8. & 9. ad Attic. imprimis 3. 5. 6. 7. lib. VII. 3. & 11 lib. VIII. atque hinc l. 9. ep. 4. ad Att. scribit: *Omitto causam Reip. quam ego amissam puto, cum vulneribus suis, tum medicamentis his, quae parantur.* Ejusque gener. Dolabella lib. 7. ep. 18. fam. (9. 9.) suadens, ut ille se vel in quietam civitatem, relictis Pompejanis infirmis & inclinatis partibus, recipiat, hoc inter alia utitur argumento: *Satisfactum est jam a te vel officio vel familiaritati: satisfactum etiam partibus, & ei Reip. quam tu probabas. Reliquum est, ubi nunc est Resp. ibi simul potius, quam, dum illam veterem sequimur, simul in nulla. dicit, ubi nunc est Resp. non illam veterem apud Caesarem esse intelligens, sed si aliqua. Resp. adhuc supervsit, consistere eam in Caesaris partibus, quia validiores ea, & quod dubio procul Caesar amplius Remp. moderaturus atque ordinaturus sit.*

XVI. Superest alia causa, quamobrem tanto studio ad pacem

B 2

quam.

quamcunque bello preferendam horratuſ ſit noſter Tulliuſ : *Extremam malorum omnium civilis bellis Victoria* l. 8. ep. 14. (9. 6.) Cū quia omniſ victoria ſua natura inſolens eſt & ſuperba, tum quod illa intemperantiuſ uſurum videret, quiſquiſ eam reportaret. De quo pluribus, quam ut hic adſcribi debeat, agit l. 9. ep. 12. (4. 9.) l. 8. ep. 1. (4. 14.) & aliis. Huc accedit, quod Pompejanū crudelitatem ſuam nimis præ ſe ferrent, & in otioſoſ etiam ſeu quieſcenteſ à bello, minas ſpirarent, quod ægerrime ſemper Cicero tulit, & accuſat Orat. pro Marcello. it. l. 8. ep. 1. 14. & 20. l. 9. ep. 12. (l. 4. ep. 9. & 14. l. 9. ep. 6. l. 7. ep. 3.) & alibi. Iſtiusque crudelitatiſ metuſ Cæſariſ copias juvabat, Pompeji premebat, quod ſignificat M. Cæliuſ Ciceroni l. 7. ep. 17. (8. 17.) hiſ verbis: *Quod ſi timor veſtræ crudelitatiſ nō eſſet, eſſecti jam pridē hinc eſſem⁹: nam hic nunc, præter ſenatores paucos, nec homo, nec ordo quiſquā eſt, niſi Pompejanuſ.* Ob eandemque cauſam C. Caſſiuſ, ille celebriſ testimoniſ Cremutii Cordi apud Tac. l. 4. ann. c. 34. *Romanorum ultimuſ*, etiam maluit ut Cæſari concederetur, victoriave obtingeret, ut faretur apud Cic. l. 10. ep. 32. (15. 19.)

XVII. Cæſar etenim miram in ſe clementiam ſemper oſtendit, & toto tempore civilis belli probavit, Pompejum ſemper honorificentiſſime appellavit, victiſque tam conſecto quam durante bello ſumma laude ignovit; eamque extollit Cic. Orat. pro Marcell. lib. 9. ep. 9. & 16. (6. 6. & 4. 8.) ad Attic. 9. & 20. & paſſim. Vid. etiam epiſtolæ Corn. Balbi ad Cic. quæ leguntur inter Cic. ad Attic. l. 8. 24. l. 9. 9. Vell. Pat. l. 2. c. 55. & 56. Sueton. in Jul. Cæſ. cap. 73. 74. 75. Lipſ. monit. & exemp. Polit. l. 2. c. 12. ſect. 7. Chriſt. Ad. Ruperti in obſervat. ad Flor. 4. 2. Atque à generoſo animo ſunt, quæ Cæſar ad C. Oppium & Corn. Balbum verba ſcribit ep. 8. lib. 9. Cic. ad Att. *Conſilio veſtro ut. et libenter, & hoc libentiuſ, quod mea ſponte facere conſtitueram, ut quam leniſſimam me præberem, & Pompejum, darem operam, ut reconciliarem. Tentemus hoc modo, ſi poſſumus omnium voluntateſ recuperare, & diuturna victoria uti, quando reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque victoriā diutiuſ tenere præter unum L. Sullam, quem imitaturuſ non ſum. Hac nova ſit ratio vincendi, ut miſericordia & liberalitate noſ muniamuſ.*

XVIII. Quoniam itaque tempeſtive, & ante conflictum firmata pace, a neutro crudele quicquam metuendum fuit, quod ſecus certiffime impendebat, & Cæſar clementiæ laude præſtitit, & æquas ſe conditioneſ accepturum, etiam poſt fugatum ſam Brundiuſio totaque Italia Pompejum, Romæ docuit, ut ſcribit ipſe l. de bell. civ. ſatius fuit ipſi concedere, quod poſtularet, (Cic. l. 7. ad Att. ap. 5.) licet aliqua, ſed tolerabilior, quam quæ victoriā ſecuta eſt, ſervituſ metuenda foret. *Nam*

oo redegerat Pompeju pop. Rom. ut saluus esse non posset nisi beneficio servitutis, ale
 Seneca 5. de benef. 16. quo intuitu apud Tacit. 1. annal. c. 9. dicitur: non
 aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Et Pom-
 pon. l. 2. §. 10. D. de orig. Jur. necesse fuisse testatur, Reip. per unum consuli.
 Quin ipse Cato libertatis alloquin & patriæ vindex acerrimus, rebus ita
 afflictis servire quam pugnare maluit. Cic. l. 7. ep. 15. ad Att. Et cum infelli-
 citer pugnatum esset, & nihil spei reliquum videret, generosum spiritum
 morte voluntaria ejecit, de quo Flor. l. 4. c. 2. vs. 70. Cic. 1. Tusc. quest.
 Valer. Max. 3. 2. 14. Seneca ep. 24. & alii, Lucanus lib. 9. aliq.

XIX. Hic vero non abs re quærat quispiam, quare Cicero Pom-
 pejum potius, cujus tamen consilia improbavit, quam Cæsarem secu-
 tus sit? Ubi respondemus I. Illum rebus gerendis non interfuisse,
 quod ipse indicat l. 9. ep. 7. (4. 7.) II. Noluit deesse Pompejo ab eoq;
 dissidere propter præstita sibi ab illo beneficia, & grati animi fidelem me-
 moriam, quam tantum apud se valuisse dicit Orat. pro Marcell. ut prudens &
 sciens, ne spe quidem ulla, ad exitium rueret voluntarium. idemque narrat l. 9. ep.
 16. (6. 6.) III. Pudore victus est & fama honorum; nam quotquot eorum,
 omnes fere, & Senatus universus, cū specie Reip. partes eas fovebant, vid.
 l. 7. ep. 7. ad Attic. IV. Pœnituit eum sui consilii factique propter vitia
 multa, quæ ibi offendit, quo venerat. Et V. post cladem Pharsalicam
 & turpem Pompeji fugam belli sibi finem fecit, ab eoque, neutrius
 amplius partes sequens, discessit. quod ipse Mario l. 8. ep. 20. (7. 3.) ex-
 ponit, ejusq; rationem reddit.

XX. Quibus omnibus probe consideratis, Ciceronis sententi-
 am de pace iniqua præ bello justo tum temporis non rejicienda, pro-
 bamus & amplectimur, hac præcipuarum causarum brevi *αινανεφαιλα-
 ωσει*. Quia I. Bellum erat civicum; cujus initia sapientis & bonus ci-
 vis invitus suscipit, extrema libenter non persequitur. Cic. l. 9. ep. 7. (4.
 7.) II. Non Reip. causa, sed dominandi libidine ab utroque duce ge-
 rebatur. III. Victoria a parte Pompeji & Reip. erat desperata; IV. ea
 ipsa misera & crudelis futura erat, etiamsi illi obtingeret. V. Contra
 ille, adversus quem arma gerebantur, magnam clementiæ spem & spe-
 cimen præbebat; & VI. non iniquas adeo condiciones initio ferebat.
 VII. pristina libertas utique nullo modo restaurari; nec VIII. quisquam
 sine ejusmodi pace salvus esse poterat. Alias adhuc causas ex su-
 perioribus elicere non est difficile. Quibus addere possemus ipsum e-
 ventum (si tamen eventu consilia ponderanda sint) quem non alium

fore, Cicero semper prædixit, si res in aciem deduceretur; & quæ
acciderunt omnia futura dixisse testatur l. 8. ep. 20. (7.3.) l. 9. ep. 1. (4.3.)
l. 9. ep. 16. (6.6.)

XXI. Hic igitur non possumus, quin improbemus illud, quod
Seneca Catoni tribuit ep. 95. prope fin. inquit: *Reip. hortetur, ne pro liber-
tate decidat, sed omnia experiatur, honestius in servitutem casura quam itura.*
Hoc enim nihil aliud est, quam hortari & impellere, ut viva vidensque
periret, & ad pestem tenderet ante oculos positam. Quod monitum
non ex prudentia politica, quæ necessitate temporis cedit, sed ex Stoica
potius disciplina depromptum est, si ipse Cato, si in eius gratiam
tantum Seneca sic dixerit aut existimaverit. Eamque Catonis regendæ
Reip. rationem in alia causa perstringit Cic. lib. 2. ep. 1. ad Att. hoc mo-
do: *Nocet interdum Reip. Dicit enim tanquam in Platoniæ πολιτεία, non tan-
quam in Romuli face sententiam.* Constat autem quod temporis cedere i. e. ne-
cessitati parere, semper sapientis habitum sit, ut docet Cic. l. 9. ep. 12. (4.9.)
& ipse Seneca 4. de benef. 37. statuit: *Non esse turpe cum re mutare consilium.*
Sed & dubitamus, an hic potius audiendus Seneca quam Cicero, qui, quod
supra jam adduximus, ep. 15. l. 7. ad Att. scribit: *Cato ipse jam servire quam
pugnare mavult.*

XXII. Atq; hæc, forassis quidem justo prolixius, pro Ciceronis
sententia tuenda & confirmanda hætenus dicta sunt, cui nemo non æ-
quali rerum & temporum conditione subscribet, & pro pace statuet.
Semper etenim, quod ait miles Terentianus Eun. 4. 7. *Omnia prius experi
verbis quam armis sapientem docet.* Et quid optatius populo Romano accidere
potuit? quam cum bellum civile maximum esset: cuius belli exitum omnes time-
rent: sapientia id potius extinguere, quam armis & ferro rem in discrimen adducere;
dicimus iterum cum Cic. Phil. 5. In hanc nostram sententiam elegan-
ter ab Horatio dictum est sat. 7. l. 1. — *duo si discordia vexet inertes:*

Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedis

Cum Lycio Glaucio: discedat pigrior, ultro

Muneribus missis.

Et recte Datames, ut in ejus vita narrat Corn. Nep. *Omnia primum experi vo-
luit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret.* Quod etiam Pompejo
maxime conveniens erat, quia itidem cum propinquo imo cum socero illud
ipsi dissidium intercedebat. Pluribus hoc si testimonio si exemplis confirmari posset, sed res adeo manifestæ veritatis est, ut nemo bo-
nus in aliam eat sententiam. Reliquum est, ut paucis ostendamus, qua
ratione

ratione variantibus rebus & temporibus ipse Cicero diversam sententiam, de bello paci iniquæ præferendo, probarit, nobis etiam admittendam atque defendendam.

XXIII. Quemadmodum autem de Civili Bello potissimum in superioribus actum est, ita commodius huc etiam referuntur ea, quæ Cicero alibi in contrarium de civili itidem bello statuit suscipiendo & iniquæ paci anteponendo: Sed de bello (quod hic statim præmonemus) contra sceleratissimum hominem & affectantem Tyrannidem Antonium, cum quo nec tuta, nec justa, nec honesta pax ullo modo coli, nec stante eo Resp. stare poterat, bellum autem, & victoria, cum ob ipsam causæ justitiam, tum rerum necessariorum copiam, facilis, & in manibus, quod dicitur, esse videbatur. Quæ cuncta Cicero uterque berins pertractat in Philippicis Orationibus, & consentit Vellejus lib. 2. cap. 60. & seqq. Flor. l. 4. c. 3. aliique ejus temporis Scriptores, quos ad singula Flori capita recenset Cl. Freinshemius. Sed placet ipsum jam Ciceronem audire. l. 13. ep. 13 (10. 6.) ubi Plancum Imp. de pace cum Antonio non faciendâ his verbis admonet: *Pacis auctor eras, cum collega tuus vir clarissimus (D. Brutum significat) a sceleratissimis latronibus (Antonio ejusque sociis aut ducibus, quorum non pauci nominantur Philipp. 13. inl.) obsideretur, qui aut pacem petere debent, aut si pugnantes eam possulant, victoria pax non pacatione paranda est &c.* & post: *Pacem esse judicet non in armis positus, sed in abjecto armorum & servitutis meta.* Atque hanc rem graviter & magna contentione in Philippicis Orat. præ cæteris 7. 12. & 13. urget; ex quibus nonnulla huc facientia transcribimus, præsertim ubi bellum contra M. Anton. ab honesto, ab utili & facili suadet, ex contrariis pacem dissuadet. Sic Phil. 7. *Itaque ego ille, qui semper auctor pacis fui, cuius pax, præsertim civilis, quanquam omnibus bonis, mihi tamen inprimis fuit optabilis &c.* Ego itaq; pacis ut ita dicam, alumnus, &c. Ego ille (dicam sapius) pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo, &c. Cur igitur pacem nolo? quia turpis est: quia periculosa: quia esse non potest. Quæ tria tota porro oratione illa explicat & confirmat, atque inter ea sic loquitur: *Nec ego pacem nolo: sed pacis nomine bellum involutum reformido: quare, si pace frui volumus: bellum gerendum est. Si bellum omitemus: pace nunquam fruemur. & paulo post: Turpe est summo consilio orbis terra, præsertim in re tam perspicua, consilium intelligendi defuisse. Eos consules habemus: eam populi Romani alacritatem: eum consensum Italia: eos duces: eos exercitus: nullam eadem Resp. accipere possit sine culpa Senatus.* Ibid. prope finem. *Omnia*

omnia videbitis P. C. nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum, ex quibus oriuntur bella civilia. Nolite igitur velle, quod fieri non potest: & cavete per Deos immortales P. C. ne spe presentis pacis, perpetuam pacem amittatis. &c. Excitati, erecti, parati, armati animis iam esse debemus: ne blanda aut supplici oratione, aut equitatis simulatione fallamur. Geminum huic est quod Phil. 2. monet: Nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris, sed inter pacem, & servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas: servitus postremum malorum, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Imo Phil. 12. eousq. probabitur, ut pacem ipsam, si Legati ad Antonium missi afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam multis argumentis ceptat. Et sequenti Orat. Phil. 13. rogatus sententiam in Senatu de pace, quam multi ob incertum belli exitum suadebant, rationibus quam plurimis obnititur, pacemque cum Antonio stare posse negat, licet ejus nomen dulce, res ipsa vero cum jucunda, tum salutatis, & nihil inhumanius eo homine sit, qui bellum civile concupiscat. Sed hoc videndum, inquit, cum omnibusne pax esse possit: an sit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis, lex sit servitutis.

XXIV. Quæ quidem omnia capitali sententiæ veritate a M. Tullio tradita sunt, sed capital ipsi fuit mordax illud verum, quo teneras M. Antonii rodebat auriculas (ut cum Poëta loquamur) quia sc. ipse solus tam liberas voces pro Rep. sed *ἀναίσιγος* in tuam salutem, emittebat, eoque potentissimi hominis odium incurrebat, qui quamvis tandem Imperii bono oppressus sit, ante tamen ipsum Ciceronem luctu omnium bonorum oppressit, vocemque publicam abscidit.

XXV. Hanc Ciceronis *ἀναίσιγος* tangit Brutus, ad Atticum scribens: Omnia fecisse Ciceronem optimo animo scio. Quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in Remp. Sed quadam mihi videtur, quid dicam? imperite vir omnium prudentissimus an ambitiose fecisse, is, qui valentissimum Antonium suscipere pro Rep. non dubitavit inimicum? Sed contuluerit male atq; imprudenter in se ipsum, boni tamen viri, boni civis, & boni regentis functus est officio, dum suorum oblitus commodorum, ad utilitatem publicam, quæcunque egit, retulit. Id quod divinitus inculcat Claudianus paneg. in IV. Consul. Honor: vs. 294.

Tu civem, patremq; geras, tu consule cunctis,

Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.

Et mirum, quod eam ob causam male audiat Bruto, quam tamen optimo animo, & pro Rep. eum egisse exploratum habere se Brutus ibidem profiteretur.

XXVI.

XXVI. Placet autem aliorum quibusdam Scriptor. auctorita-
 tibus & exemplis Ciceronis & nostram corroborare sententiam, qua,
 si justæ belli causæ sint, neque aliter pace frui liceat, bellum non fugi-
 endum & iniquam pacem seu servitutem aut vim injustam sustinendam
 statuimus iis, quibus belligerandi jus competit, maxime, si non in
 propria viscera seu cives suos sæviatur; quod omni honesta via declinan-
 dum cum ipso Cicerone & aliis non negamus. Atq; hic sentit nobis-
 cum Dion. Halic. qui l. 3. prudenter monet: *Non tam cogitandum de faci-
 enda in præsens amicitia, quam opera danda, ne relinquatur in posterum ulla reno-
 vandi belli materia.* Et Corinthii l. 1. Thucyd. orat. 3. *Ut modestia est qui-
 escere, si non lacessaris injuria, ita justitia est, cum injuria afficimur, bellum pacem
 anteferri, & repressa injuria, post bellum rursus pacem facere, nec aut successu in
 bellis elatos, plura appetere, nec pati injurias mollicie & amore otii.* Quibus con-
 sentit Polybius l. 4. contra sententiam præsidum Messeniorum, privato-
 rum commodorum respectu bellum pro sociis recusantium, sic insurgens:
*Ita existimo, fugiendum quidem esse bellum, non tamen ita fugiendum, ut omnia,
 ne in id incidamus, sustinere perpetiq; velimus.* Quid enim vel æquabilitatem in
 Rep. vel fiduciam, vel libertatis jucundissimum nomen laudaremus, si nihil omnino
 esset paci anteponendum &c. pergit: *Ἐιρήνη γὰρ μετὰ μὲν τῆς δικαιοσύνης καὶ
 πρέπουτος, καλλίστην ἐστὶ κτήμα καὶ λυσιτελέσαστον, μετὰ δὲ κακίας ἢ δυ-
 λείας ἐπινοείδεις, καί τῶν αἰσχιστῶν καὶ βλαβερώτατην.* i. e. Pax enim si ju-
 sta & honesta sit, res est certe omnium pulcherrima atq; utilissima, sed ea, qua vel
 ignavia vel servituti infamæ conjuncta est, omnium rerum turpissimum & maxime
 noxium est. Et Tacitus 4. ann. *Pace suspecta tutius bellum judicat.*

XXVII. Et merito. Sæpius enim pax quam sive offerunt
 sive ineunt adversarii, præter nudum & inane nomen nihil est aliud nisi
 insidiæ, fraudes, servitus & oppressio, vel bellum irreconciliabile. Sic
 Dionysius, ut refert Frontin. l. 3. strategem. c. 4. exemp. 3. *multis urbibus
 captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, simulavit pacem, petiitq;
 ab eis, ut comæatus exercitui ipsius ministrarent: quod cum impetrasset, ex-
 hausto oppidanorum frumento aggressus urbem alimentis destitutam superavit.* De
 Romanis ipsis Galgacus in vit. Agric. ap. Tac. c. 30. dicit: *Quos non Oriens,
 non Occidens satiaverit: soli omnium opes atq; inopiam pari affectu concupiscunt. au-
 ferre, trucidare, rapere falsis nominibus, Imperium; atq; ubi solitudinem faci-
 unt, pacem appellant.* Sex. Tarquinius, quamvis fallendi animo, vere
 tamen hoc, in dolosa fuga ad Gabios: *Ne errarent, manere his bellum, quod
 possi-*

positum simuletur : & per occasionem eum (patrem suum Tarquinium) in-
 tantos invasurum. Liv. l. 1. Et postea imprudentiæ suæ Gabini, quod
 locum Tarquinio dederunt, decussis papaverum, h. e. procerum, capiti-
 bus, sed & Tarquinius perfidie suæ, postquam cum parente a Romanis
 ejectus erat, inreritu apud Gabios, pœnas dederunt. Et in his quidem
 vis & fraus apertior, & quæ subito detecta fuit. Nihil minus ex no-
 xia sunt, in quibus vel tempus magis extrahitur, vel fucus minus appa-
 ret. Quomodo Hannibal, ut in ejus vita refert Corn. Nep. cum P. Scip.
 Fil. exhaustis jam patriæ facultatibus, cupivit impræsentiarum bellum componere, qua
 valentior postea congrederetur. Sic Sex. Pompejo Cn. F. fucata pax exitio fuit.
 Ille bello contra Octavium Aug. tenebat Siciliam & Sardiniam, tueba-
 tur se locis firmis, & famem inopiamq; Italiæ importabat: Vinci non
 potuit, nisi brevi pace. Ea pacta cum illo est, exules recepti, & vires
 abductæ, corruptus ejus miles, & terribilis ille paulo ante Neptunus,
 vix una navi effugit, cervicem gladio præbuit; & intra annum extin-
 ctam totum bellum. Ideo dicit Tac. ann. c. 10. Pompejum imagine pacis,
 Lepidum specie amicitie deceptos. Calluit hanc artem juxta atque alias calli-
 dissimus Tiberius, qui tali consilio Germanicum instruit l. 2. ann. Tac. c.
 26. se novies a divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perse-
 cisse. Sic Sugambros in ditionem acceptos, sic Suevos regemq; Maroboduum pa-
 ce obstrictum. Possit & Cheruscos, ceterasq; rebellium gentes, quando Romana ul-
 tioni consultum est, internis discordiis relinquere. Quo sensu adhiberi possunt
 egregii versus Claudiani, paneg. in Mallii Theodori consul, num. 236.

peragit tranquilla potestas

Quod violenta nequit: mandataq; fortius urges
 Imperiosa quies.

In quibus tamen optime Poëta animatus est.

X X V I I I. DE INDUCIIS non temere amplectendis idem es-
 sto judicium, quam raro sine alterius partis detrimento fiant; ut pluri-
 mum enim eo petuntur consilio, ut perentium conditio melior, hosti-
 um peior reddatur. In primis vero non paciscenda facile cum iis, qui
 infelici Marte nobiscum congressi sunt, quiq; vires suas potius recolle-
 cturi, quam rerum præsentium conditione pacem cupientes videntur;
 etiam si speciosis sed irritis eam nominibus jactent. Cujus rei monita
 & exempla Historici & Politici tam Veteres quam recentiores abunde
 ministrant. Nobis unum atque alterum malo animo atque in pernici-
 em hostis pactarum Induciarum exemplum hic sufficiat, ex quo prudens
 non

non obscure cognosceret, quid de iis sentiendum. Agesilaus Lacedæmonius (ut auctor est in ejus vita Corn. Nep.) copias in Asiam contra Regem magna celeritate duxit, quo factum, ut omnes Imperatores imparatos imprudentesq; offenderet. Id ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter præfectos habebat regios, Inducias a Lacone petivit, simulans se dare operam ut Lacedæmonis cura Rege conveniret: re autem vera ad copias comparandas; easq; impetravit trimestres. Juravit autem uterq; se sine dolo inducias conservaturum: in qua pactione summa fide mansit Agesilaus: contra Tissaphernes nihil aliud quam bellum comparavit. Id etsi sentiebat Laço, tamen iusiurandum servavit, &c. sed & tandem victor consilio & industria evasit. Romanorum Legati, Martius & Attilius, a colloquio cum Maced. Rege Perseo, in quem jam bellum ex S. C. decretum erat, reversi, legationem in Capitolio ita renunciarunt, ut nulla re magis gloriarentur, quam decepto per inducias & spem pacis Rege, belli apparatus instructo, ipsis nulla parata re. Hec, ut summa ratione acta, magna pars Senatus approbabat, veteres & moris antiqui memores, negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Recentius documentum est in bello Regis Hispaniarum contra Belgas foederatos, quo sagacissimus Politicus & maximus *μνηστήρης* ille J. Lipsius inducias cum iis Hispano commendavit, epistola quæ exstat ap. Rod. Botereum commentar. hist. l. 2. & seorsum edita cum alius auctoris in eandem notis seu stricturis Politicis. Quod consilium, ut videtur, secuti Hispani, plus duodecennialibus Induciis, quam quadraginta annorum bellis profecerunt. Istiusmodi etiam arcanum contra eosdem suggestit Dux Rohaneus, in *l' Intérêt des Princes &c.* verbis Latine sic habentibus: *In Belgio confœderato ubi Catholici potentia sua exuti, populusq; nec dum, diuturnis, quamvis & cruentis bellis, sub imperium Hispanicum mitti potuit, longævis armorum induciis, schisma quoddam spargendum, quod animos eorum disparet.* Quantum Græci aliquando inducias improbarint, memorabili docemur Historia Lacedæmoniorum & Argivorum, quorum duces inleis civitatibus inducias pepigerunt. Re igitur infecta regressis utrinq; ducibus, Argivi suos lapidibus tantum non obtulerunt, & post vitæ supplicio ægre remisso, illorum bona in publicum redegerunt; Lacedæmonii vero Imperatori suo Agidi capitis supplicium intenderunt, atque vix ejus culpæ gratiam fecerunt; quod nobis reliquit Diod. Sic. Biblioth. Hist. l. 12. c. 78.

X X I X. Ex his omnibus hætenus allatis apparet optimum de pace agendi tempus esse, dum sibi uterq; confidit, & pares ambo videntur; quod Cæsar (l. 3. de bello civ. c. 10.) Pompejo, ne armis amplius inter se



contenderent; per Vibullum persuadere; sed nequicquam conatus. Ibi que rationem addit: Si alteri paulum modo tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur: neque fore equa parte contentum, qui se omnia habiturum consideret. Paret autem Curtio l. 7. videntur, qui nondum fecerunt virium inter se periculum. Hinc Corbulo Tirdatis Vologesiz de pace legatos haut aspernatus, adjungit eis centuriones cum mandatis non immitibus, ideo quod adhuc nondum eo ventum, ut certamine extremo opus esset. Tacit. l. 5. ann. 27. Nam si ab ipsis etiam bellum & victoriam comitantibus infinitis calamitatibus, de quibus supra non nihil actum, discesserimus, vel hoc nomine præstat pacem conciliari, antequam fiat periculum virium, quia experientia docet, victores victoribus nunquam solida fide coalescere, quod dicitur apud Tacit. l. 2. hist. c. 7. Vere itaque veteri verbo traditur: Sub clypeo melius succedere pacis negotium, h. e. ut itidem proverbio ajunt, hasta seu clypeo nondum abjecto, & dum mutuo metu dissidentes inter se tenentur, ut Flori verba 4. 2. 13. nostra faciamus. Hoc de argumento cedro digna locuti Lacedæmoniorum Legati oratione, quæ legitur lib. 4. Thucydidi. qua pacem Athenienses orant, & moderato in rebus secundis animo adhibendo amice cohortantur. Ex qua tantum hæc adscribimus: Sic stabilius dissolvuntur magnæ inimicitia, cum æquales adhuc pacem faciunt, non cum altera pars se ultra est, & plura obtinens alteram cogit pacis condiciones petere aut accipere &c. Reconciliemur itaque, donec utriusque sumus integri, & vobis accedit gloria & nostra amicitia.

XXX. Non inepte posset hic annexi, quibusdam populis & Rebus. melius succedere & magis ex usu esse belli quam pacis tempus & negotium; præsertim si bellis adfuerit & inuoriti sint; quia difficilius pacis quam belli artes. Quod in historia nobilioribus Spartanis atque Romanis præ cæteris usa venit. Illorum, quamdiu bella gessere, inconvulsa stetit Respublica, quam, cum pugnando imperium Græciæ consecuti sunt, vix duo lectissimi annos in pace & sine offensione tenere potuerunt, quod testatur Polyb. l. 1. hist. De his autem Appianum Claudium crebro solitum dicere accepimus: (verba sunt Val. Max. 7. 2. 1.) Negatum pop. Rom. melius quam otium committi, non quod ignoraret quam jucundus tranquillitatis status esset, sed quod animadverteret præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolvi. Testis hujus est Juvenal. sat. 6. qua in corruptissimos ætatis suæ mores, maxime mulierum, invehitur, & hos ex nulla adeo re succrescere, nisi ex animo otio & pace, his atque aliis exponit:

Nec

— Nec vitis contingi parva sinebat
 Tella labor, somniq; breves, & velleve Thusco
 " Vexata, duraq; manus, ac proximus urbi
 " Annibal, & stantes Collina in turre mariti.
 " Nunc patimur longae pacis mala, seuior armis
 " Luxuria incubuit, victumq; ulciscitur orbem.

Atque idem fere inter causas, quamobrem Pompejus Caesari impar con-
 gressus sit, recenset Lucan. l. 1. inquitens:

— Alter vergentibus annis
 In senium, longoq; pace tranquillior usque
 Dediticit iam pace ducent.

Huc affine quod Tac. l. 1. hist. c. 38. legimus: *Mota urbis cura, nullus ordo
 metu aut periculo vacuus: primores senatus aetate invalidi, & longa pace des-
 des; segnis & oblita bellorum nobilitas.* Quo pertinet quod idem l. 2. hist.
 c. 17. de Italiae incolis tempore belli inter Otho. & Vitell. prodit: *Lon-
 ga pax ad omne servitium fregerat, faciles occupantibus, & melioribus incurio-
 sos.* Innuit idem Catul. carm. 52.

Oium reges prius & beatas
 Perdidiit urbes.

Plura hac de re notantur ap. Corn. Nep. in Epaminond. Piccart. dec. 2.
 cap. 10. Obsery. hist. Pol. Freinshem. ad Flor. l. 3. c. 12. §. 2. aliosq;.

Verum quia haec non facile obtinent in Rep. Christiana, ubi non eo
 sine bella suscipienda aut frequentanda sunt: ut ex rapinis & incom-
 modis aliorum, nostras copias, opes aut facultates firmemus, ampli-
 ficemusq; sed tantum dura necessitatis lege urgente; cui fundamento
 in superioribus innixi sumus; nolimus ex iis quidquam statuere, sed
 omnem hanc de Bello & Pace disquisitionem concludimus verbis divi-
 ni Praeceptoris Aristotelis, (ut cum vocare amat ο θυμασιπαι & J. C.
 Scaliger) lib. 7. Polit. c. 14. *δεις μιν γαρ ασχολειν διωαδαι, & πολεμειν
 μαλλον δε ειρηνην αγειν και σχολαζειν και τ' αναγκαια, και το χρησιμα
 δε πρῶταιν, τα δε καλα δεει μαλλον,* h. e. *Quamvis negotium bellumq;
 aliquando necessarium sit, pacis tamen atq; otii tempora praeposenda sunt, itemq; ne-
 cessaria commodaq; bona, quamvis sint exquirenda, laudandis tamen & honestis bo-
 nis postponenda.* Et illustrissim. Script. Gregor. Episc. Nazianzeni Orat. 21.
 quem laudat Cl. Theologus Dorlicheus loco supra citato. *Melius & op-
 tabilius est egregium bellum pace impia & a Deo distrahente.* & Orat. 5. de pace:
Quanquam dictum illud Salomonis laudem, qui ut ceteris rebus omnibus, ita bello ac

Paci quoque tempus suum, quasi lege quaedam, praescribit, hoc tamen unum adficiam, esse tempus quidem utriusque observandum, quando secundum legem & sententiam ipsius etiam bellum nonnunquam praebere geritur, sed quamdiu liceat, potius ad pacem inclinandum. hoc enim & sublimius & divinius fuerit. Haec ille.

Et haec quidem nobis pro temporis & ingenii modulo, occasione propositi argumenti dixisse suffecerit; quae si cui juvenilia nimis & jejuna videantur, equidem non magnopere id diffitemur, placuit tamen ab his studiis & litteris in publicum proeundi initium capere & auspiciari, quibus haecenus potissimum tempus & operam impendimus, quam graviora viribus suscipere, aut aliorum serinia compilare; cujus criminis comminus suspectos nos futuros putamus, quod soloci filo haec nostra deducta sint, nam & illa ad sublimiora ὁδοποιῶσιν, & ἀμύχανον μέγιστα πρὸ τῶν μικρῶν παιδεύθηται. Quod autem ex Ciceronis epistolis ea quae de bello Civili adnotavimus, pleraque quasi confarcinaverimus, auctoritate fecimus doctissimorum virorum, qui non solum bene dicendi sed & sapiendi praecipua inde hauriri posse aestimant, & vel solius Lipsii, qui lib. 3. Var. Lect. c. 30. ait: Scripsit Cicero libros Epistolarum ad Atticum hominem familiarem, valde quidem probandos, & juventuti si modo audient, diligenter legendos. In his liber septimus & octavus, quos in illa perturbatione belli civilis conscripsit, quae si commentarii & historia loco esse possunt &c. Idem de ejusdem ad Familiares, ut vocantur, Epistolis, & imprimis eodem belli civ. tempore scriptis affirmari posse, non dubitamus. Addituri etiam eramus quasdam alias quaestiones, de quibus non nihil ejusmodi observaveramus, sed & tempus nos deserit, & quia praeter opinionem superioris materiae tractatio excrevit, nec metas disputationis egredi, nec patientia lectoris abuti volumus, eaque cum aliis hic addimus ut **COROLLARIA.**

- I. C. Jul. Caesar. injuste à Cassio & Bruto interfectus est.
- II. Vi & armis acquisitum Imperium rutilius rigore & armis, quam Clementia conservatur.
- III. Privata divitiae sine publicis Reip. exitiose sunt.
- IV. Non semper utile est in Rep. omnia delicta, etiamsi graviora, accusari & puniri.
- V. Satius est culpa in Reip. suspectos aut compertos, morte, quam exilio aut Ostracismo multare.
- VI. Honestiores natales minuunt poenam.
- VII. Decimatio aut similis poena ratio injusta est.

VIII. Suc-

VIII. Successio filiorum in publicis muneribus aut officiis, non secus atque
in principatu, admittenda est.

IX. Litterarum rudes & hebetiores cum aliis ad Remp. & judicia admini-
stranda admoveri possunt.

X. Intestinis disidiis laborantes spe facilius vincendi invadere, tutum non est.

MELIORA MELIORES.



I.

Sic ipsa coeli prædicanda Majestas
Tuis, Amice, sit laboribus præsto,
Ut me Tuus laudabilis rapit fervor!
Tu læta Tempe litterariæ gentis,
Spretor Vacuæ ingloriæque languoris,
Ingressus, ausu pertinace sinceræ
Antiquitatis & scientiæ raræ
Hauris liquores elegante successu
Sat luculentum testimonium præbet
Inebriata rore Musico charta
Quæ cernit auras, Chaucicæ juventutis
Plautum requirens calculumque doctorum
Hinc te stipatum laudibus Camœnarum
Sibi destinatum clara JULIAS mater
Cupide capescet, atque in abditos sinus
Sacræ Themistos te remittet extemplo.
FELICITER quod fiat accino præcum!

Amico suo ἀμιβδύλαφ

Hagæ Com. scripsit

STATIUS ab HAGEN

Hildesienf.

In



II.

In Honorem Politissimi
 Dn. HENRICI AVEMANNI
 Autoris ac Respondentis.

A Rma, Viriq; strepunt; bella, horrida bella geruntur
 REGES & inter PRINCIPES.
 Hec te nulla movent: sed AVES AVEMANNE polite
 Gratâ quiete perfrui.
 Anteferens Pacem tutam, (quamvis sit iniqua)
 Bello vel & Justissimo.
 Faxit (mente precor) Deus, ut Pax tuta & honesta
 Liget Potentium pectora,
 Et te post annos magnum nos Pacis Alumnus
 ac Patriæ videbimus.

Properanter adjecit

SEBASTIANUS ELSERS, Brem.

III. HEN-



III.

HENRICVS AVEMANNVS

Anagram.

H I C A N N V S V E R E M V S A

H ic annus vere primus, quo Musa parat A
 E x Helicone recens non parvo extollere cult V
 N atum, quem meruit studiis, multoq; labor E:
 R ecte cum quo nos cuncti gratamur honore M,
 I llum praesertim, quo nunc divina Sophi A
 C larum vult ipsum per Martis reddere nome N
 V trum, dum quaerit dicens de militis ul V,
 S it plus imperio, nec non ad tempora praestan S.


Oresti suo sic

L. M. Q.

applaudit

JOHANNES PLAGE

Petrih.



I V.

C Hare AVEMAN docti non ultima gloria Phæbi
 Omne felici suscipe honoris iter,
 Conscondis cathedram, atq; viriliter omnia profers,
 Sic bene convenias nomine reg; precor.

Amico singulari raptim P.

HENR. à CAPPELN. Brem.

D

H P O.



V.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑ.

Φίλταπε κεδνέ, ἐμῶ πλείστον κεχαρισμένε θυμῶ,
 Μισαίων ἀγλαῶν ἀγλαῶν ἠδὲ τέκνον.
 ὅτι μὲν αἰεὶ ἀρετῇ πετραμμένον ἦτορ ἔσχηκας,
 Πολλὰ μὲν πρὸς ταύτην ῥήματα πῶτα ἔφης.
 Ὡς ἀρετῇ, σὺ μὲν εἰ κτήσις θνητῶσιν ἀρίστη,
 Πλάττω μὲν κρείσσων, χρηστέρη δὲ γένεσθαι.
 ἢ τὸ μὲν ἀδύνατον, ἀγνωστὸν μέρωσσι καθίσθαι.
 ἢ δὲ τὸ καὶ φοβερὸν θαρσαλέως ἀνέχθαι.
 Τὸν τε μὲν ὄκνον αἰεὶ πολλὰ ψόγῃ ἀξιὸν ἡγήσθαι,
 Τὸν δὲ πόνον ποιεῖς πολλὸν ἔπαινον ἔχειν.
 Οὐκ ἄρ' ἐγὼ σ' ἀρετῇ, δῖον γένοιτο, ὡς περ εἰς ἡρώων.
 Οὕτω θηρεύσω εἰς κε τὸ λοιπὸν αἰεὶ.
 Εὖ γὰρ μὰ θεὸν ἀθάνατον, κῦδος νεανίσκων,
 τοιαῦτοις μύθοις τὴν ἀρετὴν προσέφης.
 Τάνεκα καὶ κλέος ἑσθλὸν ἐν ἀνθρώποις ἀπολήψῃς.
 ἠδὲ ἐλεύση εἰς αὐτογάς ἔρανας.
 Καὶ ὅτε νῦν ἀρετῆς ποιεῖς ἴπιδειξιν ἑκείνης,
 Ἐξ ὑπέτης καθέδρας εὖ διορίζομεν.
 Σὺ πολλοῖς μὲν ἐγὼ τῇ πράξει αἰτίω αὐτῇ.
 Ὅλβια πάντα θεὸς κλυθὲ μευ εὐχομένῃ.

ἑυφημίας καὶ εὐνοίας ἕνεκεν ἔγραψε

ELARDUS JENCKE Bremensis.

V. Pro-



Programma.

HENRICUS AVE MANNUS.

Anagramma.

1. *Hinc cura semen ausu.*
 2. *Heus, ! nunc sume cara.* } mutato n in e

Epigramma.

INcultum, fateor, campum qui spontè relinquit,
 Non fructus dulces, non feret ille rolas.
 Sollerti *Hinc ausu curas*, AVEMANNE polite,
 Pectoris in campo, *semina sparsa*, tui.
Semina sunt pietas, candor, mens nescia fraudis,
Herculeusq; labor, quem satis acta probant.
 Hinc te Pegasides Nymphæ, clamore vocantes,
Heus! nunc sume, petunt, cara trophæa, tibi.
 Accipe, pro meritis lauro decorata trophæa,
 Quæ tibi mox summus Juppiter ipse dabit.
Semina sic animi culti curare decebit;
 Sic decet in laudes velificare tuas.
 Hæc Nymphæ sanctæ referunt. I nunc pede fausto,
 Quò tua te virtus forsq; serena vocat.
 Sit labor inceptus faustus Patriæque resulter
 In jubar, inque suum te vehat inde decus.
 Auguror: ARGUS eris, tete præeunte virebunt
Brunsvigæ tractus, dulce solum patriæ!

Sic apponere voluit

JOHANNES DÜSING Brem.



HERICUS I. V. I. I.

Qualis precipiti simul haut rapit omnia casu
 Dux prudens, sibi quum belli spectacula tempus
 Postulat, & certus jam fruibus imminet hostis.
 Verum consilio maturo precipit ante
 Eventus rerum ancipites: discriminis unquam
 Non putat expertem sese, metuitque secundis:
 Clausaque belligeri quum ferrea limina Iani,
 Exercet tamen arma, & propugnacula bello
 Tuta parat; cæco ne quondam Marte feratur,
 Haut secus, o mihi præ multis dilecte sodalis,
 Docte AVEMAN, cum grata ciet Te in praelia Phœbus;
 Sobrius accedis, longoque exercitus usu.
 Nam te, testis erit locuples Phabiranius Apollo,
 Nocturna tractasse manu, tractasse diurna
 Arma novenarum jamdudum rite Sororum.
 Victor eris quoniam pugnae sat idoneus exis.
 Maeste esto virtute, sub his nec desine signis;
 Numinis auspicio, vigili studioque merere:
 Majoresque alibi post hos sperare triumphos.

Honoris & amoris causa amico suo
 certissimo adponere voluit.

CONRADUS MEINERUS, Steim-
 becca Brunsvicensis.


F I N I S.

14 WA 1636

ULB Halle
006 817 327

3







POLITICA
 CERONIS,
 QUAM JU-
 LLO
 RT.
 ICE,
 Clarissimo VIRO,
 COKÖHNEN
 ticae in Illustri Bremensi-
 tore ac fautore suo
 endo,
 i subicit
 A V E M A N,
 ensis.
 loco horisq; solitis.

M Æ,
 ENRICI de VILLIERS,
 anasii Typogr.
 DC LX.